

etiam advertit Salcedo, ubi supra. Iſtum decretum auto de legos pragmatici appellant.

49 Don Joſephus Vela, lib. 1. diſſert. 10. num. 71. ſic diſſert: Poſſet merito debitor conventus, illius declinare iudicium, ab ejuſque proceſſu appellare, & per viam violentie (ut vocant) ad Regia Pratoria deferre, ubi Eccleſiaſticum in cognoscendo & procedendo adverſus talem debitorem laicum vim facere declarabitur, vulgo Auto de legos. Quinimò idem, conſequetur, & ſi declinatoriam non obijciat, neque appellationem interponat. Sed lib. 2. d. diſſert. 44. ex num. 46. fundamenta hujus praxis tradit.

50 Gabriel Pareja, de uni. instrument. edit. p. 1. tit. 2. reſol. 6. num. 260. breviter praxim complectens, ait Aut ad Senatam; ſive ad Regias Audientias recurritur pro vi iudicis eccleſiaſtici auferenda, & pro obtinendo decreto laicorum, vulgo auto de legos. Iterum ipſe, reſol. 7. à n. 1. fundat latè hanc poteſtatem tollendæ vis, & n. 35. quid fiendum ex actis editis poſt datum decretum laicorum deſcribit.

Joannes Roa, in diſt. tract. de iurib. Principal. quaſt. 1. num. 36. noſtram praxim approbat his verbis: Si contigerit vis in uſu immunitatis, & libertatis, id eſt ſi Eccleſiaſtici iudices, & Clerici excederent in modo deſenſionis rerum Eccleſiaſticarum, atque Templorum, & perſonarum, quia miſis eſſe debet, nec more caſtroorum Eccleſia eſt armis defendenda, quibus ſi uſerentur excederent debitum modum: vel etiam ſi extra limites immunitatis Eccleſiaſtica prodirent, ut ſi in caſibus quibus nec Clerici, nec res eorum, nec delinquentes ad templa recurrentes immunitate gaudent, vellent Eccleſiaſtici immunitatem violenter defendere, in his enim viſ & injuria feret Reipublica, & ſeculari poteſtati per Eccleſiaſticos. In his ergo caſibus, licitum eſt, imò expediens eſſe dicimus, Principem, & quemvis iudicem ſecularem ad cuius diſtrictum negotium ſpectet, auferre vim in uſu immunitatis illatum ab Eccleſiaſticiſ hoc modo: ut primum adverſus armorum vim, & tumultum donec quietas reſpublica ſe opponat, & ſine Canonis ſcrupulo auferant ab Eccleſiaſticiſ arma illa quibus tumultus fovetur. Deinde ſecundo in caſibus in quibus aperte Eccleſiaſtica immunitas exceptionem patitur ſecundum juris ordinationem, aut conſuetudinem probatam; licitè utentur jure ſuo ſeculares Magiſtratus, & non eſt illis vetitum, non

obſervare immunitatem tunc, ſicut velaretur in illis caſibus, in quibus illa conſervari debet. Et poſtquam num. ſegg. modum procedendi confirmat, ſuppoſito moderamine inculpatæ tutelæ, tandem n. 47. ait: At verò in re manifeſta indicium non eſt, ſed inſpectio clara injuria. In re autem iſta iudices non utuntur iuriſdictione, ſed protectione paternali. Proſequitur doctè & piè: quare ſive Theologus, ſive peritus in jure ſit, & lectorem obſcuro quod omninò hujus doctiſſimi viri duas primas quaſtiones attendat.

Joannes Jaſes Parladorus, rerum quod. tit. lib. 2. in ſeſquicentur. diſſ. 76. §. 1. num. 3. hæc tradit: Porro ſi iudex laicus petat à iudice Eccleſiaſtico, ut eum audiat, ſuaſque recipiat exceptiones, aſterens, nihil ſe contra Eccleſiaſticam egiſſe immunitatem, debet Eccleſiaſticus iudex illum audire, partesque ad probandum admittere, atque ita iudex ſecularis coram Eccleſiaſtico exhibet exemplum actorum à ſe geſtorum, teſtes ſummarie receptos reproduci, ſeu (ut vulgo loquuntur) ratificat, Laſis igitur terminis cauſaque concluſa Eccleſiaſticus iudex ſententiam pronuntiat, à qua ſecularis ſi intelligitur injuſte pronuntiaſſe appellat, Regiumque proteſtatur auxilium: additi Regii Auditores pronuntiant, aut Eccleſiaſticum iudicem deferre debere appellati, aut non debere deferre: ſi pronuntiant deferendum eſſe appellati, iudex ſecularis remanet iudex cauſa; ſi autem pronuntiant non eſſe deferendum appellati, Eccleſiaſticus coërceat cenſuris laicum iudicem, donec reum Eccleſia reſtituat, nec ante eum à cenſuris abſolvit, quam poenitentiam agat de immunitate violata.

Alphonſus de Azevedo, in d. l. 3. tit. 2. lib. 2. recopilat. num. 20. ibi: Secularis ipſe iudex occurrit coram Eccleſiaſtico, & in modum gravaminis libellum proponit, nomine ſuo, & iuriſdictionis Regia. pretendendo annullari, & revocari mandatum, & allegando ſe potuiſſe illum extrahere, quia tale delictum commiſſum eſt, pro quo non debet gaudere immunitate; & tamen in deſectum, quod ſic non fiat, appellat in forma, & proteſtatur expenſas, & damna, & remedium del auxilio de la fuerça. Et tandem concludit: iudex ſecularis juſtitiam fovens, nam de hoc loquimur, aſſirmando ſe in appellatione, & proteſtationibus appellat iterum à tali ſententia, & proſequitur in appellationis gradu, & ut abſolvatur cum ordinaria proviſione adfert proceſſum ad Cancellariam in gradu ordinario violentia

tie. Ipſe enim in l. 2. tit. 6. eod. lib. 1. ad fin. remiſſivè de duobus modis propulſandi vim, praxim teſtatur.

54 Gundifalvus de Paz, in prax. tom. 1. p. 5. c. 3. §. 3. n. 18. hæc tradit. Unde quoties caſus occurrerit, in quo conſugiens gaudere nõ debeat, iudex ſecularis impune (cognito prius quod Reus gaudere non debet) poterit illum extrahere. Et ſi iudex Eccleſiaſticus ſuis cenſuris impedire velit, ab eo appellare poterit ad iudicem Eccleſiaſticum ſuperiorem, proteſtando auxilium Regium violentia, & mittere debet illico ad Cancellariam pro ordinaria proviſione, ut per viam violentia ducatur proceſſus originalis & mittendū eſt mandatum uni ex procuratoribus Cancellaria cum relatione facti. Quæ quidem proviſio concedit ſtatim, ut proceſſus deferatur, & interim Eccleſiaſticus abſolvat excommunicatos, & interdictionum ſuſpendat, per tempus ſexaginta dierum. Et ſi in Cancellaria remittatur negotium ad iudicem laicum pronuntians locum habuiſſe appellationem illius ab Eccleſiaſtico dictus iudex ſecularis procedit contra delinquentem. Latino ſermone verba trado, ne tardioſa repetitio fiat, quod in reliquis obſervabo.

Joannes de Evia Bolaños, in Curia Philipp. p. 1. §. 5. n. 4. ſic dicit, In Audientia Regis cognoscitur de violentiis illatis per iudices Eccleſiaſticos, quando aliquis laicus querelam proponit ex eo, quod in cauſa merè profana proceditur per aliquem ex eis contra ipſum. Et p. 3. §. 12. n. 61. ibi: Et ſi nihilominus proceditur, appellat ad Sanctiſſimum, vel ad eum ad quem de jure pertineat, & proteſtetur auxilium violentia, adeat Regiam Maſtaſtem, & ſuam Regiam Audientiam: & ſi obtinnerit proviſionem ordinariam, ut abſolvat ad aliquem terminum, & mittat acta originalia ad Audientiam, notam faciat eam; ſi minus mittat pro ea curando quod acta ducantur ad Audientiam. Et ſi in ea viſis pronuncietur Eccleſiaſticum vim nõ intuliſſe, reſtituat conſugiensem Eccleſiaſticis; & ſi pronuntietur vim intuliſſe, procedat in eum, & puniat.

56 Don Joannes Vela in aureo tractatu de delict. p. 2. c. 6. n. 34. hæc docet. Sed hoc de ſtylo non obſervatur: nam iudex ſecularis nulla precedente ſententia delinquentes extrahit ab Eccleſia, & iudex Eccleſiaſticus eos repetit per cenſuras, à quibus appellat ſecularis, & à ſuperioribus Tribunalibus imperat mandata Regia, ut Eccleſiaſticus excommunicatos abſolvat, per ſexaginta dies & ſuſpendat interdictionum, intra quem dierum terminum proceſſus miſtendus eſt ad iudices ſuperiores, qui ſi animadvertunt delictum de

exceptis, declarant iudicem vim faceres, & tunc ſecularis procedit in cauſa ad puniendum delinquentem.

Alphonſus de Villadiego, in polit. c. 5. n. 246. cum ſegg. ita ſcribit: Si offeratur caſus extrahendi delinquentem facta ſummaria, requirat cum ea Provifoſorem, vel iudicem Eccleſiaſticum, ut dictum eſt, & eo extracto ſi poſtea invenerit quod gaudere debet, aus intellexerit quod ſententia reſtitutionis Eccleſia juſta eſt, reſtituat cum illico, antequam ab aliquo petatur, quia animi levitas non eſt obtemperare, ante coërctionem ſuperioris. Et ſi Eccleſiaſticus procedit injuſte in eum per cenſuras, ſubſtantiet cauſam exhibendo coram eo copiam informationis, & actorum, que facta per eum fuerint ad juſtificationem, & appellet in tempore formaliter ab omnibus procedimentis Eccleſiaſticiſ, & à cenſuris, & ceteris ab eo geſtis, proteſtando nullitatem, & auxilium Regium violentia, & declinando iuriſdictionem, & mittat illico ad imperandam proviſionem ordinariam, qua concedi ſolet in Regiis Cancellariis, ut abſolvat per ſexaginta dies; aut in conſilio qui datur per octoginta, & injungat eam ut pareat, & abſolvat, & interdictionum ſuſpendat, ſi poſitum fuerit curando quod acta tranſmittantur ad Regis Audientiam, virtute dictæ proviſionis ordinaria, qua compulſoria eſt. Et cum pronuntiatum fuerit Eccleſiaſticum vim non ſeciſſe, reſtituat conſugiensem Eccleſiaſticis; & ſi pronuntiant vim ſeciſſe, debet procedere contra eum prout de jure reperiet.

Hicronymus Cevallos, in tr. de via viol. pluribus in locis de hoc articulo agit, ſed ad rem propius, part. 2. q. 5. ex n. 19. quo latè praxim deſcribit, & n. 22. ita loquitur: ſed ſi caſus fuerit notorius, in quo Reus non debet gaudere juxta ſacros Canones, & motum proprium Gregori XIV. in: pronuntiat quod iudex Eccleſiaſticus vim inferat, & quod deferat, & reponat, & cauſa remittitur ad ſecularem, & cenſura tolluntur; quo in caſu poteſt ſecularis iudicare cauſam contra Reum, & executioni mandare ſententiam.

Antonius Pichardus, qui ſuo tempore meruerat Præceptoris communis epithetum, in manu. ad prax. p. 3. §. 8. ſic docuerat: Quod ſi conſugiens immunitate ſui non debeat, iudex ſecularis impune poterit illum extrahere; & ſi iudex Eccleſiaſticus ſuis cenſuris impedire velit; ab eo appellare debet ad ſuperiorem Eccleſiaſticum, & proteſtari auxilium Regale de las fuerças, mittitque ad Cancellariam caſus relationem, item & mandatum cuidam Procuratori, ut is iudicis ſecularis nomine ordinariam Regalem proviſionem

visionem petat ut per viam violentia processus originalis ad Regios superiores remittatur, qui interim jubent per sexaginta dies excommunicatos absolvi, & interdictum suspendi, apud quos, si constituerit Judicem Ecclesiasticum vim intulisse, & recte secularem judicem appellasse, remittitur causa, ut contra delinquentem procedat.

60 Don Frauciscus Salgado de Regia protestat. p. 1. c. 1. n. 3. hæc tradit: Secundo modo iste patet aditus, & salubre refugium ad Regiam majestatem, quoties Judex Ecclesiasticus, mittens scilicet in messem alienam, de merè laico, re simul merè profana cognoscens Regiam temporalem jurisdictionem usurpat propriè limitibus non contentus, quod querelam de auto de legos practici vocant. Et ibid. n. 4. postquam recursus ad tollendam vim in casibus immunitatis mentionem facit, profitetur se nolle de eo tractare, remittendo lectorem ad doctrinam Castellani de Bobadilla, ne vitium transcribendi incurrat, quare clarissime sententiam profert, illius doctrinam approbando, quæ relata est n. 41.

61 Neque his obstant tradita per Augustinum Barbofam, in prax. exig. pens. qu. 8. n. 58. ex privato scripto D. D. Ferdinandi de Ojeda desumpta, ut asserit, quæ expendi solent pro contraria opinione, credendo D. Salgado contra nos pugnasse, d. 17. de Reg. protest. part. 2. c. 4. n. 116. Nam truncata verba edunt, quod ut perspicuum fiat, & hunc doctissimum virum in alia divetissima specie locutum fuisse percipias, sume verba, à n. 114. quæ sic se habent. Ac propterea evidentem & notoriam vim faciet Judex Ecclesiasticus, si confugientem ad Ecclesiam vi exemerit, ab hacque incarceratione, tanquam ab injusta emissa appellationi deferendum esse Tribunal supremum, cuius auxilium violentia protestatur, declarabit (sequitur n. 115.) Quod extendere non solum ad laicum confugientem ad Ecclesiam, verum etiam ut habeat locum in Clerico, ut iste ab ea invitatus extrahi, & capi non possit tenet Bernard. Diaz, in pract. Canon. c. 115. Joann. de Vischis, in tractat. de immunit. ab ipso citato. Et ex Decian. Covarr. Diaz. Clar. & infinitis aliis late fundat, limitat & extendit Prosperus Farin. r. 3. crim. quæst. 28. n. 7. & 8. (concludit n. 116. immediate.) Et ut cetera in hoc articulo taceam, dico quod nulli sunt ad Ecclesiam confugientes quibus peculiari ratione ejus immunitas non favet, imò jure, & lege permittente ab ea capi, extrahi que possunt invitati. Quales ii sunt accurate in unum

redigit Remigius, tract. de immunit. Eccl. Decian. in tract. crimin. part. 2. lib. 6. cap. 25. per tot. Covarr. Var. lib. 2. cap. 20. Farinac. Bobad. &c. Et ideo omnes hi, qui non gaudent immunitate Ecclesiarum, jure & debite à Judice capi possunt, & ab Ecclesia extrahi. QVI SI APPELLAVERINT, sintque protestati regium auxilium violentia, causa ad ipsum Judicem remittenda est & vim non fieri declarandum.

Totus iste discursus, sicut inscriptio capituli, quæ sic se habet: Quando & quibus casibus Judex Ecclesiasticus vim faciat non deferens appellationi interpositæ à incarceratione, de extractione facta per Judicem Ecclesiasticum agit; quod contextura ipsa demonstrat, resolutionis substantia confirmat, & verba univèrsa patefaciunt: extractus enim per Judicem laicum non eget remedio extraordinario recursus ut appellans in Regiis Audièntiis audiatur. Cuncta colligenti, plura non congruentia in collectaneis cumulare contingit: & ideo sive Barbofa, sive Ojeda sit, qui in dicto loco confusionem Domino Salgado irrogat, ipse hac labe confunditur: nam ignoranter, ne dicam turpiter, hic locus allegatur ad excludendum Decretum laicorum in violentiis illatis ratione immunitatis, ut accurate notat D. Retes, dict. §. 3. numero 77.

Et noviter Don Michaël Cortiada in decisionibus Catholica 1.1. decis. 2. n. 53. dicens. Aut ad Supremum Senatuum, sive ad Regias Audièntias, pro vi judicis Ecclesiastici auferenda, & pro obtinendo decreto laicorum, vulgo auto de legos prout cavetur l. 4. tit. 7. part. 3. ex l. fin. tit. 1. lib. 1. recopilat. adducens, Covarruviam, Rosericum, Bobadillam, Salgadam, Velam, Parçjam, Azevedum, Paz, Saucedum, & Parladoricum.

Istæ Practicorum nostrorum observationes, sive doctrinæ, perspicuum reddunt communem praxim; sed cum ipsi, ut plurimum, loquantur de Judicibus ordinariis, sive specialibus, non omnino adequantur, ad praxim Aularum criminalium Regiarum Cancellariorum, & supremæ criminum in hac Curia Aulæ. Nam in qualibet ex eis adest Fiscalis, qui quoties casus emergit, Jurisdictionem Regiam defendit, appellando, protestando, processum debito modo instruendo, & suo in casu recurrendo ad ipsam Cancellariam, vel Consilium; ita ut cum Præ-

Actis

Actis Curia parum, aut nihil agendum sit, neque ipsi defensionem suscipiant, nisi casu quo nominatim excommunicatio in eos lata sit. Quod raro evenit, nam unquam fermè controversiæ excitantur, quia ipsi violententer extrahi confugientem mandent. Sunt quippe viri doctissimi, immunitatem, ut decet, venerantes; & sic quæstiones, ut plurimum, agitantur, quando rei allegant adductos fuisse per locum immunem, vel supponunt captos fuisse à satellitibus in cæmeteriis, vel locis adjacentibus Ecclesiis; aut probationibus fallis utuntur ad evadendam poenam. Et specialiter in hac Regia, cum facillimus sit aditus ad Curiam Reverendissimi Nuntii Apostolici, difficilior redditur illatio violentiæ, & sic rarissime sunt causæ in quibus necessarius sit usus recursus. Quia cum in arbitrio Fiscalium resideat uti remedio appellationis, vel auxilii Regii, nisi in casibus notoriis recurrere non solent, licet possint.

64 Et quamvis verum sit, quod, Judices Ecclesiastici dum agunt de restitutione criminosa immunitatem allegantis, per censuras tractant de defendenda præ eminentia Ecclesiarum, quæ Prælati commissa est; in his, violentiæ intervenire solent, ut scite notat Avendaño, d. cap. 1. num. 321. vers. non solum, dicens: Non solum quando agitur super Ecclesiis, vel fructibus earum, sed quando agitur super præ eminentiis, & honorariis Ecclesiarum: nam in his potest quis vim pati. Joann. de Roa, dict. quæst. 1. num. 7. ibi: Itam vis est quando Ecclesiasticus in sententia, & mandato incurrit errorem intolerabilem contra jus manifeste. Victoria d. relect. 3. num. 3. ibi: Circa quod nota quod Dominus Caietanus concedit lib. de potest. Pap. c. 27. etiam circa administrationem Ecclesiarum, posse Principem resistere, si manifeste dispent Ecclesiam. Quod Leo IV. summus Pontifex fieri posse fatetur, in c. nos si incompetenter 41. 2. quæstione 7. & alii Pontifices, in cap. si Episcop. 13. 18. distinct. C. licet 10. de for. compet. cap. si quando 5. in fin. de ref. cript.

66 Verum ista non sic capienda sunt, ut passim, atque in omni negotio violentiæ remedium imploretur. Nam quoties ex eodem facto resultat Reum ad Ecclesiam confugisse, & crimen patrum, non esse de exceptis, ineptè quidem, & injustè Judex procederet ad ex-

trahendum Reum: imò dignus erit poena, si contemptris Canonicis sanctionibus immunitatem Ecclesiæ violaverit. Idem fermè dicendum venit si res dubia sit, quia in dubio favendum est Ecclesiæ, ut omnia jura clamant: quod Ethnico Papiniano non latuit, in leg. sunt persone 43. ff. de relig. & sumpt. funer. ibi: Nam summam esse rationem, quæ pro religione facit. Quare supponendum est, quod tantum loquimur in casu notorio, nempe quando Reus manifestè gaudere non potest immunitate Ecclesiæ, vel quia de facto clarè constat non confugisse ad locum immunem: vel quia de jure liquidè resultat crimen ab eo patrum ejus qualiter esse, ut Ecclesia ei non subveniat, regula generali hujus privilegii expressè illud eximendo. Quæ quidem notorietas necessaria est, ut Avendaño, Roa, & Victoria, ubi prox. docent, quibus addendi Perceita de man. Reg. part. 1. cap. 4. num. fin. Afflict. d. decis. 24. n. 9. Valquez in d. apolog. disp. 2. cap. 3. n. 6. Cirtel. lib. 2. de imm. quæst. 15. n. 31. in quo conveniunt omnes ferè adducti, supra n. 30. cum dub. segg.

Sed ad clariorem explicationem suppono cum Innocentio III. in cap. tu a nos 8. de cohabit. cleric. & mul. definitionem notorii desumi ex verbis Text. ibi: Quod si crimen eorum ita publicum est, ut merito debeat appellari notorium, in eo casu, nec testis, nec accusator est necessarius cum hujusmodi crimen nulla tergiversatione clari. Quibus verbis comprehendendi definitionem notorietatis communiter Doctores tenent, ut tradit Barbofa de appell. verb. utri. jur. appell. 166. n. 2. Far. g. 21. per tot. Salgado de Reg. protest. p. 3. c. 14. n. 53. & Cirtel. d. lib. 1. g. 14. n. 10. Et consequenter si aperte, clarè, & manifestè constet Reum ad locum immunem non confugisse, per notorietatem facti, constabit carere privilegio immunitatis; ita ut absque accusatore, appellatione, testibus, aut forti declinatoria relinquendus est Judici seculari, ut in eum procedat. Idem dicendum erit si eodem modo constiterit captum fuisse in loco profano, quia etiam si dixerit adductum fuisse per Ecclesiam, donec liquidè non probaverit libertatem consecutum fuisse, & liberum ad locum immunem confugisse, Judex laicus habet fundatam intentionem, ex eo quod captus sit in loco profano, ut tenent omnes quos adduxit Curt. d. lib. 1. B B b quæst.

quest. 30. per tot. quibus addendi Cortiada, lib. 2. decis. 84. num. 2. cum. segg. Præsul Urrutigoiti, de Comp. Juris. quæst. 79. num. 26. & ego dixi sup. d. contr. 7. n. 9.

- 70 Sed dices quando notoriè de facto simili apparebit? Et dico, quod quando per allegationem immunitatis propositam, per confugisse dicentem, & fiscum Curie Ecclesiasticæ, evidenter apparet, reum ad locum non immunem confugisse, quod exemplis practicis comprobare est facillimum. Primum exemplum sit resultans ab specie proposita, d. contr. 7. num. 1. Nam Thomas de Lcuria deduxit coram Ecclesiastico captum fuisse in Oppido de Molina, & dum alligatum ducerent satellites ad hanc Curiam transierunt cum eo per ruinas in cremo apparentes, quæ dicebantur olim Ecclesiam fuisse; in hac facti contingentiâ minimè probatur Reum ad locum immunem confugisse, etiam si de facto deducto plures testes haberet, quia neque apparebat de Ecclesia, neq; de confugio, & libertate à satellitibus manibus. Quare per notorietatem ipsius facti deducti, apparebat Reum illum non posse jvari privilegio immunitatis, ut latè probavi, d. contr. 7. ex num. 3. Nam neque constabat Ecclesiam ibi unquam fuisse auctoritate Episcopi destinatam, neque adesse spem reedificationis, neque liberum in eam intrasse: imò totum contrarium apparebat. Secundum exemplum sit resultans ab specie proposita,
- 72 Controv. 24. Nam Alphonfus de Montufar, de quo in ea agitur, captus fuit in divertorio cum sodalibus epulando: immunitatem allegaverat, ex eo quod ratione alterius criminis, de quo tunc non agebatur, per aliquot annos antea patraui, ad Ecclesiam confugerat, à qua nemine compellente, aut suadente, spontaneè exierat; quo in casu, non gaudere evidens est, ut doctè probat Præsul Urrutigoiti, in cod. matr. q. 90. num. 5. & ante cum pluribus Cortiada, lib. 1. decis. 12. num. 24. Et cum Judex Ecclesiasticus per censuras procederet ad restitutionem, recursus emissus fuit per D. Fiscalem ad Consilium; in quo, causa de more relata, pronuntiatum fuit anno 1659. Ecclesiasticum vim fecisse in cognoscendo & procedendo, & causa remissa fuit Aula: & in ea terminata reum condemnando ad eremes per decennium, & sententia executioni deducta, ut in eadem contr. 24. latius dixi: Quæ qui-

dem decisio in terminis est, ad quæstionem de qua agimus. Huic similis est casus Hieronymi Rodajo, oppidi de Camanchel citioris, incolæ: quem in proprio habitaculo apprehenderam, ratione sexdecim delictorum, de quibus accusabatur. Allegavit coram Ecclesiastico se per decennium antecessens confugisse ad Ecclesiam, quia Judex ordinarius urbis procedebat in eum pro diverso crimine. Litteras ab ordinario Ecclesiastico hac de causa obtinuit, ut restitueretur Ecclesiæ à qua olim extractus dicebatur. Crimen illud erat levissimum, & Judex ordinarius secularis, causam omninò despexerat, atque illum in plena libertate reposuit, qua functus fuit per decennium, & amplius ad tot crimina patrandæ. Et sic evidenter apparebat non gaudere immunitate ratione criminum postea patrautorum. Tertium exemplum sit quando Reus captivus ducitur in vehiculo cum vinculis, & custodibus, & rota tangit septa aliqujus Ecclesiæ vel ipse extendens manum parietem templi tangit. Nam in his speciebus, & aliis similibus, notoriè apparet ex eadem allegatione implorantis immunitatem, ad locum immunem non confugisse, sicque ea frui non posse, ut docent D. Covarr. var. lib. 2. c. 20. numero 3. Hippo. de Marfil. in l. unic. Cod. de rapt. virg. numero 115. Anton. Gomez lib. 3. variar. cap. 10. numero 2. ubi Ayllon. Farinac. quæst. 28. numero 29. & in append. immunit. cap. 15. numero 101. & 103. Gutierrez, lib. 3. pract. quæst. 6. per totum. Azevedo, in d. l. 3. tit. 2. lib. 1. recopilat. numer. 11. Anastas. Germon. de factor. imm. cap. 16. numero 7. Sanchez, tom. 2. Consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 8. numero 9. Bobadilla, d. lib. 2. cap. 14. n. 61. Curtel. Cortiad. & Urrutigoiti adducti sup. n. 69. & D. Retes d. §. 3. n. 63. Ob quod apparet Ecclesiasticum vim fecisse in cognoscendo & procedendo, cum deficiat basis, & fundamentum jurisdictionis Ecclesiasticæ, nempe locus sacer cujus immunitas violata sit. Et si debito modo recursus ad Consilium emissus foret, quamvis de appellatione, vel declinatoria non constaret, absque dubio decretum laicorum obtineretur, & remissio ad Judicem secularem. Quia cum in his extraordinariis cognitionibus procedatur ex bono, & æquo, nec petendi formula, nec solemnitates judiciorum observantur;

- observantur; sed occurritur ubi naturalis ratio exigit, & æquitas suadet, licet pars in petendo deficiat, ut vis excludatur, quoties manifestè detegitur. Ut latè probat Gabriel Pereyra, de man. Reg. d. part. 1. cap. 11. num. 1. Ex quo deducitur, quod in sententia Doctorum superioris notæ, ad decreta laicorum obtinenda, non est necessaria appellatio, protestatio, vel fori declinatoria; nam omnibus his deficientebus procedit recursus, ut probat Gloss. in c. Imperialis, §. præterea. De prohib. feudor. appel. per Frederic. Bartol. in l. 1. §. post. operis, num. 8. ff. de nov. oper. nuntiat. Guliel. Benedict. in cap. Raynucius, verb. si absque liberis, num. 49. de testam. ex nostratibus Gaspar. Rodrig. d. lib. 1. cap. 17. num. 71. Cevallos, de via viol. part. 1. 1. Gloss. 16. n. 20. Don Joseph. Velaz, d. dissert. 10. num. 71. ad fin. D. Salgado, d. p. 1. cap. 2. numer. 69. qui licet Cevallos in aliis dissentiat, in hoc puncto conformatur. Quod etiam expressè tenuerunt D. Covarr. relatus sup. n. 39. & Ignat. Salcedo, relatus num. 44. quorum verba ibi tradidi.
- 79 Verum his obstare videtur communis traditio per quam sæpius pronuntiarum dicitur: *Causam non duci in statu violentiæ*, quod est idem, ac dicere: pronunc vis non infertur, quod procedere nequit, nisi ex eo quod Ecclesiasticus vim non infert dum de causa cognoscit, neque de ea pronuntiavit, & executioni sententiam deducere non tentat. Sed fateor hæc fieri pluries, & eo non obstante nostra sententia tenenda est. Quia loquimur in casu quo manifestè liquet reum ad locum immunem non confugisse, eo modo quo Ecclesia requirit, ad eum protegendum. At verò si nondum liqueat de defectu jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel dubia reddita sit quæstio an confugerit, vel non, ad locum immunem, utputa si reus captus sit verè in loco profano, & per testes falsò deponentes probaverit coram Ecclesiastico, captum fuisse in Ecclesia, non appareat de violentia illa donec secularis detegat falsitatem: quare ea non detecta, si recursus emiserit, causa duci non potest in statu debito, ut de violentia in procedendo, & usurpando jurisdictionem cognoscatur. Atque adeo ex spectanda est pronuntiatio Ecclesiasticæ, & si pro reo sententiam tulerit post detectam falsitatem, tunc jam vim infert, & causa in statu crit, ut de violentia. D. D. Laur. Matthau, de Re Crisp. Pars II.

tia pronuntiari possit. Quartum exemplum in his terminis præ manibus habui: nam duo Rei oppidi Molinæ de Aragon, qui in hac Curia capti per satellites fuerant, contra quos ratione gravissimorum criminum procedebam ex commissione Consilii, anno 1668. postquam per plures menses detenti fuerant, causa jam conclusa, & relata solemniter ad diffinitivam, immunitatem probare intentarunt per trium testium falsas depositiones: litteras monitoriales impetrarunt, cum comminatione censurarum, quas mihi notas fecerunt quando ad ferendam sententiam properabam. Suspenda publicatione, & inspectis actis Ecclesiasticis, detecta liquidè fuit falsitas, qua tales testes in rerum natura non erant. Unus namque, si nomen, cognomen & ministerium, in quo Dòminæ nostræ Reginæ serviebat, attendenda essent, humatus publicè fuerat antequam Rei caperentur per plures menses, de quo per rei evidentiæ apparuit. Alii duo perquisiti fuerunt in habitaculis, in quibus in eodem examine commorari deposuerant, & reperit fuit homines similibus nominibus, cognominibus, vel officiis prædictis nunquam in eis habitasse: addebatur probatio concludens loci profani in quo capti palam fuerant, quare Ecclesiasticus litteras revocavit, & non gaudere dixit: si per suppositionem, pronunciasset pro Reis, tunc procederet violentè, quia jam falsitas erat detecta, & recursus procederet, causaque duceretur in statu. Sed necessariam in hac specie appellationem crediderim, sicut in omnibus speciebus in quibus non liquet notoriè, quod reus caret immunitate, tum ad gerendum morem pragmaticorum, qui hæc solent observare; tum etiam, quia si Judex errorem ceperit in æstimandis probationibus, remaneat patens aditus ad superiorem Ecclesiasticum.

Quando verò non dubitatur de facto confugii, immò supponitur, & secularis nititur in eo quod Reus commisit crimen exceptum ab immunitate, distinguendum esse arbitror: an agatur de crimine expressè excepto in Constitutione Gregoriana, vel de excepto per interpretationem, utputa quia ante eam à jure Canonico excipiebatur, vel legitima consuetudine inter excepta annumerabatur. Si agitur de expressis

- in Constitutione Gregorii, & per notorietatem appareat reum aliquod ex eis perpetrasse, idem dicendum erit, nempe quod nulla adhibita appellatione, protestatione, vel declinatoria, recursus procedit, semperque statum habet, ut pronuncietur Ecclesiasticum, *vim intulisse cognoscendo, & procedendo*. Quia reus est Laicus, causa merè profana, & deficit violatio immunitatis, quæ est causa excitandi jurisdictionem, quippe notoriè constat reum commisisse crimen pro quo privilegium immunitatis est ei denegatum. Mirè ad rem Villadiego, in l. 1. tit. 3. lib. 9. for. judic. ibi: *Non debet Judex eum extrahere donec terminetur super eo articulo, nisi notoriè constituerit non debere gaudere Ecclesia immunitate: quia tunc bene poterit Judex secularis, etiam absque Episcopi, vel Pralati permisso, vel licentia delinquentem ab Ecclesia extrahere: Nam cum Ecclesia eum non tucatur, nulla injuria ei irrogatur*. Idem docet Joannes Roa, d. quæst. 1. num. 42. ibi: *In casibus à jure expressis licitè secularem Judicem, ac Principem obstrare Clericis, ne jussa administrationi ipsi obstant, & quovis modo servata Ecclesia reverentia, posse etiam ad ea que jus concedit agenda procedere, ut ad comprehensionem, & educationem ab Ecclesia*. Idem tenent Rebuffus, in proem. Constit. Gloss. 5. num. 40. Dominus Covarr. d. cap. 20. in fin. Tiber. Decian. d. tom. 2. lib. 6. cap. 29. num. 1. Guid. Pap. d. decif. 121. ex num. 1. Guill. Benedict. in d. cap. Rayancius, verb. uxorem, num. 444. Villadiego, in polit. c. 3. num. 238. Bobadilla, d. c. 14. ex n. 64. Gambacurt. lib. 6. c. 14. & lib. 8. c. 20. Farin. d. q. 28. n. 75. Nicol. Boër. decif. 109. num. 1. & 2. Azcovedo, in d. l. 3. num. 19. Fagundez in decal. tom. 1. lib. 5. cap. 1. numer. 22. Thomas del Bene, de immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 4. sect. 2. num. 8. Nec obstat Diana, d. p. 3. tract. 2. de immunit. resol. 14. nam accuratè respondit Curtel. d. lib. 1. q. 14. ex num. 4. Quibus addendi Cortiada, decif. 3. num. 19. cum segg. qui plures adducit, & Præsul Urrutigoiti, qui in casu notorio hanc conclusionem tueretur, quæst. 44. num. 18. absque eo quod spectanda sit cognitio Ecclesiastici, quia in notoriis ordo juris est ordinem non servare, dicit. t. tua nos, de cohabit. clericor. pluribus Salgado, dicit. part. 3. cap. 14. num. 47.
- 89 Hujus conclusionis exemplum resultat ex facto deducto, sup. ant. 17. n. 1.

Nam cum in oppido de Escalona ludis raorum ageretur, die 7. Augusti 1662. in conspectu Magistratum Municipium, & totius populi, rixa suscitata inter Didacum del Valle illius oppidi, & Didacum Ximenez oppidi de Nouvela, dum ipsi corrixabant, Joannes Polo, qui cum Didaco del Valle nullam inimicitiam, nec causam habebat, currens ab angulo, à tergo ense percussit, & proditoriè vulneravit, & occidit. Ad Ecclesiam statim confugit, à qua per Judicem ordinarium extractus fuit: Ecclesiasticus per censuras repetere curabat; & recursus emissus fuit ad Regium Pintianum Prætorium, in quo pronunciatum fuit, *vim fecisse cognoscendo, & procedendo*. Quia per notorietatem evidenter apparebat, patrasse crimen nominatim exceptum tant in jure, cap. 1. de homicid. quàm in Constit. Gregoriana. Aliud simile exemplum deduci potest, ex contr. 30. quia homicidium de quo in ea agitur coram multitudine Populi in atrio Palatii proditoriè patratum fuit. Sed habent sua sidera cause; nam tribus Ecclesiasticorum Judicum sententiis Rea criminis illius, obtinuit immunitate gaudere.

In casibus verò in quibus per acta processus notorium fit, reum patrasse crimen exceptum; nam hoc etiam dicitur notorium, juxta Text. in cap. cum olim 24. de verb. sign. pluribus Barbof. d. ap. pellar. 166. num. 3. Debet Judex Laicus actorum exemplar coram Ecclesiastico edere, testes cum citatione partis reproducere, & causam perfectè instruere, ut concludenter appareat de crimine pattrato, & sententiam Ecclesiastici expectare. Si iniquè notoriè pronunciat, appellationem interponat, & protestetur axilium Regium, rémq; ad Consilium deducat, ut per viam violentiæ decernatur. Nam si his omisissis recursus emiserit, se nihil acturum credat, quia absque dubio non duci in debito statu pronuntiabitur, quod plus nocere solet quàm prodesse: Licet enim ex hac pronuntiatione non impediatur quo minus possit causâ instruere, & cum in statu reperiat iterum ducere; tanquam suspectus recursus inspicitur, qui ductus fuit, dum causa defectuosa reperiebatur. Si verò aliqua tergiversatio in probatione criminis, vel qualitatibus excludentis ab immunitate reperiat (potest enim probari crimen homicidii liquidè, & non probati concludenter proditio,

- & sic de cæteris) prudenter, justè ac scitè operabatur si omisissis viis recursus, appellationem prosequi coram Ecclesiastico superiore procuraverit. Nisi ei appellatio denegata fuerit, quia hoc in casu per aliam viam patet aditus recursus, nempe ob violentiam factam non deferendo appellationi, de qua latissimè Salgado, in d. tract. de Reg. proteci.
- 94 Ex his apparet quàm diversus sit modus procedendi in his quæstionibus immunitatis per Judices Regnorum Castellæ, à modo statuto in Regnis Coronæ Aragonum. Nam in istis proceditur cum Ordinariis Ecclesiasticis per viam competentis jurisdictionis, cum nominatione arbitratorum, & tandem per Cancellarium, virum in Ecclesiastica dignitate constitutum, nullum interesse habentem in causa, qui eam dirimit, seclusa appellatione, vel recursu. Et sic duo Judices contententes æqualitatem in ea obtinent, quæ valde necessaria est in omni judicio. De qua forma latè tractavi tom. 2. de reg. Valent. cap. 7. §. 1. per totum, & post me latius Don Michaël de Cortiada Senator disertissimus Barcinonensis, in duob. vol. decif. signanter, tom. 1. decif. 4. & 5. & Præsul Tiratonsensis, Don Didacus Frances Urrutigoiti, qui mirabiliter munus Cancellarii in Regno Aragonum implevit, in docto tract. de compet. jurisdic. præcipuè quæst. 34. In Castellæ verò Regnis, solus Ecclesiasticus cognoscit; & cum ejus intersit decernere an sua sit jurisdictio, Judices laici Rei sunt, & declinando jurisdictionem Ecclesiastici, offendere eum solent, cum pauci sint, qui ejus simbras extendere non curent. Ex qua differentia procedendi utilissimi effectus resultant, quorum duos præcipuos attingam. Primus sit, quod cum origo illius modi procedendi reducatur ad concordiam initam inter Regem Aragonum, & Prælatos auctoritate Pontificis, cum intervenit Legati illius ad hoc electi, qui fuit Bertrandus Cardinalis Convenarum, ut patet ex Bulla quam tradidi, in princ. d. cap. 7. & etiam ad litteram ponit Cortiada, d. decif. 4. num. 8. Quæ quidem concordia, per plures summos Pontifices approbata reperitur, tum eam ad litteram transcribendo, tum etiam illius substantiam narrando, ut ibidem dixi, non potest dici nisi quæstum fuisse per concessionem, gratiam, vel privilegium, sed per contractum ultro, citroque obligatorium. Et licet Araconenses quoad se originem referant ad foros, in quibus nulla mentio de hac concordia reperitur, ut patet ex traditis per Sesse, decif. 113. per totam. Calix. Ramirez deleg. Reg. §. 2. ex num. 3. & Præsul Urrutigoiti, d. quæst. 54. num. 1. hoc intelligendum credo, quoad executionem, & usum: nam fori de re Ecclesiastica non tenerent, nisi originem mutuasset à jure auctoritate Pontificia lato, prout illa concordia fuit inita inter Regem, & Primatem, nempe Archiepiscopum Tarraconensem. Licet enim Araconenses Metropolim habeant, ab anno 1318. ex concessione Joann. XXII. regnante Jacobo II. & Concordia facta fuit anno 1372. ut ex ea resultat, auctoritate Gregorii XI. regnante Petro I V. Tuncque in Provincia Tarraconensis solum continerentur Ecclesiæ Catalonia, Valentia, (dempta parte diceccis Cartaginensis, ex qua hodie componitur Episcopatus Oriolensis, ad quem postea extenta fuit, ut dixi, d. §. 1. numero 11. Et sic ipsa Ecclesia Valentina interfuit in contractu, & ejus nomine Romus de Soler & Bernardus Company Canonici præbendati & Procuratores Capituli ejusdem, ut habetur in for. 10. de jurid. omn. judic. ) Baleariumque: cum inita fuisset inter Regem & Primatem, aliisque Prælatos, ad universa Regna facta dicitur, concurrentibus Auctoritate Pontificia, & Regia, quæ nullam limitationem habent: sicut nec ipsa concordia, in qua dicitur factam ad Provinciam Tarraconensem: quod si capiatur de divisione antiqua Hispaniarum, plura alia continet: sed credo referendum absque dubio ad Ecclesias suffraganeas Tarraconensi, inter quas Valentina connumerata fuit usque ad annum 1492. quo in Metropolim creata fuit ab Innocentio VIII. regnante Catholico Ferdinando. Et probabiliter ad cæteras divisiones Regis Aragonum, quarum Primatiam obtinet Tarraconensis Ecclesia.
- 95 Sicque contenta in dicta Concordia irrevocabilia remanserunt virtute contractus inito inter Regem, & Ecclesiam, ad cujus implementum teneretur summus Pontifex, ex eo quod auctoritate ipsius facta verè fuit Concordia; ac per consequens ipse contrahens est, juxta Val. D. D. Laur. Matthen, de Re Crim. Pars II.

l. 1. §. omnia. Cod. de veter. Jur. enucl. ibi: Omnia enim merito nostra facimus: quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas, pluribus Barbosa, axiom. 163. quibus addendus Pereira, de manu Regia, part. 1. cap. 6. ex num. 3. quo latè probat hanc irrevocabilitatem in simili concordia, tenens quod talis contractus obligat summum Pontificem, non solum naturaliter, sed etiam civiliter; & rationem addert, num. 9. ibi: Cum Pontifex in concordatis super materia jurisdictionis, tanquam principalior pars Cleri, & tanquam universalis Prælati, & Vicarius Christi, in cuius patrimonio illa jurisdictionis est, sine cuius auctoritate, nec contractus valet, & ab omni robore destituitur, & à confirmatione, & auctoritate robur accipit, sicque cum ipso summo Pontifice gestus dicitur, cap. bene quidem 96. dist. & quod Pontifex, sicut ceteri Principes superiores non recognoscetes, teneantur ad complementum contractus, ultra adducta per Pereiram, ibid. probatur Text. in l. digna vox, Cod. de legibus, cap. 1. de probat. c. que in Ecclesiarum de Constit. ubi Doctores Castillo, de tert. part. 7. c. 18. num. 125. Larrea, allegat. 3. n. 2. Amaia, in l. 2. n. 12. & seg. C. ne Fisc. rem quam vend. lib. 10. Barbof. in cap. 1. de probat. num. 5. cum segg. Carena, practicar. resol. 174. num. 65. & 66. Dominus Crespi observ. 34. num. 4. & seg. Et ego dixi de regim. Valent. tom. 1. cap. 1. §. 2. numer. 39. & cap. 4. §. 6. num. 14. cum sequentibus, sicque minimè comprehensus est hic contractus in revocatione contenta in Gregoriana. Et licet claus. 12. reperiantur hæc verba, etiam in vim contractus, non possunt intelligi de vero contractu ultro, citroque obligatorio, qualis est iste de quo loquimur; sed de concessione, indultu, vel privilegio ad cuius ampliorum corroboracionem addit clausula, in vim contractus. Nam etiam si concordia, vel alterius contractus concessio nomen mutetur, si solum favorem contineat, revocationi subjicitur; bene Carena, resol. 59. ex num. 6. Dominus Crespi, observat. 101. num. 17. sin autem præcedente discordia, ad pacem Provincie inita est, revocationi non subest, pluribus probat Curtel. d. p. 2. quest. 96. per totum, quibus addendus Carena, d. resol. 59. num. 18. & Dominus Crespi, ubi prox. juris namque gentium firmitatem recipit, ne Pontificem voluisse eam revocare firmiter est te-

nendum. In Regnis verò Castella licet plures concessiones supponantur, cum non præ manibus habeantur exemplaria, frequentius revolvitur quæstio; an scilicet per Gregorianam antiqua jura, & consuetudines revocata sint; adeo ut Concessiones summorum Pontificum expressè negantur per Dianam, Barbofam, & ceteros contrariam partem tuentes, cum quibus Peña, d. decis. 480. num. 31. Sed quia à dicta constitutione Gregorii supplicatum fuit ad summum Pontificem, & usu recepta non sit, ut dixi d. contr. 7. num. 14. & 15. eam non obstatè firmiter credam.

Nec placet distinctio aliquorum tenentium ignorari à quo ex ipsius constitutionis capitibus supplicatum fuerit ob quod usu receptam fuisse, quoad delicta excepta, non verò quoad modum procedendi concludunt: nam de supplicatione bis iterumque expressa mentio habetur, in ordinat. Aud. Granat. quoad totum supplicatum ab ea fuisse probat Dominus Crespi, observat. 63. num. 24. Sicque quoad omnia in suspensio esse, est tenendum, donec aliter per Pontificem decisum sit. Neque ista distinctio necessaria est, quia intentio Gregorii tota versabatur circa reductionem omnium Concessionum de immunitate Ecclesiarum, ad terminos juris communis, sive Canonici; quod ex verbis ipsius clarè depromitur, claus. 10. ibi: Quæ omnia ad terminos juris reducimus. Cum enim hæc verba apposuit, jam de criminibus exceptis locutus fuerat, claus. 7. de modo tradendi reos per Prælatos, quando immunitate non gaudent sanxerat, claus. 8. de forma cognoscendi an gaudere debeant, in claus. 9. & immediatè nihil excludens, ait quod omnia reducit ad terminos juris: igitur nihil à jure statutum, revocatum fuit, sed tantum privilegia, & abusus reformare curavit. Quia clausula quæ omnia est universalis, relativa ad præcedentia, ut probat Casta, de claus. clausula 121. n. 1. Nec refert potest ad proximiora, quia in princ. d. claus. 10. tractat Pontifex de crimine, hæresis, & de personis Ecclesiasticis: in quarum cognitione nihil quod reducere possit ad terminos juris aderat: cum Laici Catholici, nunquam in cognitione illius criminis, vel personarum Ecclesiasticarum se immiserint, nisi in quantum jus Canonicum permittit. Sicque referenda sunt illa verba ad

ad omnia præcedentia, dicta quoad Laicos delinquentes immunitatem implo- rantes; & sic tenuerunt Marta, de jurisd. part. 2. cap. 50. numero 2. ad finem. Tancredus, tract. 1. disput. 8. num. 2. Curtel. d. lib. 1. quest. 1. ex num. 14. Præsul Urrutigoiti, de compet. Juris. q. 35. n. 18. apud quos plures.

Observantia subsequuta, quæ est optima legum interpres, sic interpretatur hanc constitutionem; non solum si inspicias observantiam Judicum secularium, verum etiam si scruteris praxim Judicum Ecclesiasticorum, quorum plures retuli d. contr. 7. num. 15. dum probavi non esse usu receptam, eo modo quo Diana interpretatur, sed prout de jure statutum erat ante dictam constitutionem.

Et si practicas observationes desideras, reperies, quod licet d. const. claus. 9. cautum habeat, quod reus extractus ab Ecclesia, custodiatur à Judice Ecclesiastico, quo usque cognoscatur an gaudere debeat immunitate, ad hoc ut tradatur seculari, si frui non debet, sin minus restituatur Ecclesie. Et non solum hæc non observantur à Judicibus Ecclesiasticis, verum etiam nullus ex eis de simili custodia curare intentat, nec litteras secularibus mittit, quibus sub hac forma rei extracti repellantur. Semper enim omisso medio custodiendi reum, agunt ad hoc, ut Ecclesie restituatur. Deinde similis custodia eo fine per Gregorium inducta fuit, ut reus qui gaudere non debet, sub tuto sit; & ab Ecclesiastico Seculari tradatur, absque labe, vel scrupulo irregularitatis, vel alterius Censuræ; sicut expressè dicitur in dict. claus. 8. & 9. Nullus ex Judicibus Ecclesiasticis de implemento harum clausularum curat, nec de tradendo reo; ut à Laico puniatur, etiamsi plura ex criminibus exceptis patrata per eum sint: Ergo ipsi sunt, qui usum Gregorianæ non admiserunt. In eadem claus. 9. ca-

vetur quod soli Episcopi, vel ab eis deputati, in his immunitatis quæstionibus se immisceant, ita ut in locis nullius Diocesis Episcopum viciniorum Gregorius designat. Quibus exclusi remanent Vicarii Foranei, Abbates, Vicarii Capitulum Sede vacante, & ceteri ordinarii Ecclesiastici, quibus specialiter ab Episcopo hæc commissa non sunt: adeo ut Jurisdictio in causis immunitatis Episcopis delegata à Sede Apostolica

habeatur, ut docent D. Covarruv. dist. lib. 2. var. cap. 20. num. fin. Didacus Perez, in l. 6. tit. 2. lib. 1. ordin. vers. que recitur tamen, Azcovedo, in l. 1. tit. 2. lib. 3. recopil. Fatinac. de immunit. numero 366. Giurba, consil. 10. num. 7. & consil. 50. num. 11. Parlad. d. lib. 2. differ. 77. §. 1. Narbona, in l. 20. tit. 1. lib. 4. recopilat. gloss. 33. num. 14. Gambacurt. d. lib. 6. cap. 2. cum segg. Barbofa, de jur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 154. Correa, in cap. inter alia de immunit. part. 4. ex num. 2. Diana, part. 4. tract. 1. resol. 49. & parte 6. tract. 1. resol. 30. Thomas del Bene, dict. cap. 16. dub. 41. & 77. D. Retes, d. §. 3. num. 58. Hoc etiam ab Ecclesiasticis non observatur: nam Vicarii Capituli, & Foranei quotidie se immiscunt in his quæstionibus, procedendo per Censuras, & in exemplo proposito sup. num. 89. Abbas Ecalonenfis, per censuras processerat contra ordinarium Laicum, non vocato Archiepiscopo Tolletano, in cuius Diocesi, licet excepta continetur Abbatia, & sic pluries observari percepi. In eadem claus. 9. Caveatur, quod si Episcopus declaraverit reum non gaudere immunitate, illico eum tradat Judici laico, quocumque appellatione remota, Ecclesiastici autem quotidie appellationes admittunt, de quo adeo memorabile exemplum in specie proposita per August. Barbof. in vot. decis. vot. 117. num. 1. lib. 3. nam profiteretur se revocasse sententiam Ordinarii Ecclesiastici, qua gaudere immunitate reum in ea relatum non posse pronunciaverat, procedendo virtute commissionis sibi factæ per R. Nuntium. Et ego præ manibus habui in specie relata supra num. 82. Ex quibus evidenter concluditur, usum Gregorianæ Constitutionis quoad modum procedendi, nunquam fuisse admissum in his Regnis, per ecclesiasticos Judices.

Quoad crimina excepta minor diveritas, meo iudicio, reperitur inter jus Canonicum, & Gregorianam. Nam opiniones quæ sulcantur circa cauta in dict. claus. 7. non intendunt excludere dispositionem constitutionis, sed eam interpretantur, ita ut à jure Canonico in nullo discrepet; quod jura Ecclesie non lædit, sed favor. Hanc conclusionem duo exempla demonstrant, in dict. claus. 7. Gregor. dicitur quod non gaudeat immunitate qui proximum suum

proditorie occiderit. Hoc ipsum jus decernit, in cap. 1. de homicid. ibi: per industriam, vel per insidias. Nos cum plurimis adductis. *Supra contr. 30. num. 18. & segg.* dicimus, quod qualitate industriae, vel insidiarum probata, resultat clara probatio proditoris. Diana, & sequaces conantur ostendere, quod proditio probari nequit, quin adsit color amicitiae simulatae, quod inferunt ex doctrina Barr. in leg. perspicendum, §. delinquitur, ff. de pœn. quam, ind. contr. 30. ex num. 29. latè interpretati sumus: hoc non est diffinitum per Gregorium, neque per d. cap. 1. ergo nihil nocet immunitati, cum finis utriusque opinionis sit idem, nempe quod observetur Canonica lex excludens ab immunitate homicidam proditorium, licet quoad medium comprobandi proditorem dissentiant. Alterum exemplum depromitur ex eadem claus. 7. quarens in ea dicitur, quod publici latrones non gaudeant immunitate, quod pariter cautum erat in cap. inter alia 6. de immun. Pius V. sanctissimus Pontifex, in constitut. 112. edit. anno 1570. apud Cherub. tom. 2. fraudulentos decoctores, latrones publicos esse expressis verbis definiuit; quæ dispositio non derogata per Gregorianam, neque cum ea pugnat, aut compatibilitatem habet; imò decoctores comprehendit, ut evidenter probat doctissimus Præsul Urrutigoiti, d. tract. de comp. Juris. quest. 82. ex num. 7. & quest. 90. num. 4. Diana opinatur decoctorem fraudulentum, non comprehendit in exceptione; perpendatur quæso, quis præter auctoritate, an sanctus Pontifex, qui canonizari meruit, vel Pater Diana, qui neque dignitate, neque virtute, neque doctrina cum eo potest comparari? Igitur immunitatem non lædet, neque jura Ecclesiæ impugnet, qui interpretatione, sive definitione sancti Antistitis Summi retenta despexit opinionem Dianæ, ne habenas malefactoribus laxando, Ecclesia criminibus, & criminosis impleatur. Sic similiter de patrantibus delicta in ipsa Ecclesia, nam licet Gregoriana solum exceperit occidentes, vel vulnerantes graviter, qui commiserit in ea graviora, vel æque gravia delicta, ab immunitate exclusus manebit per Text. in cap. fin. de immun. ubi communiter Doctores: Sic similiter, in ceteris delictis per jus Ca-

nonicum, & approbatas consuetudines ab immunitate exclusis. Licet verum fateor, quod in his opinabilibus questionibus rationabiliter inter Doctores discussis, cum deficiat notorietas juris, non est tam facilis aditus ad tribunalia Regia, quia de violentia in procedendo non apparet; eo ipso quo res dubia redatur; nam favore Ecclesiæ in similibus judicandum est, ut dixi. Quod est secundum membrum distinctionis propositæ sup. num. 84.

Secunda differentia quoad modum procedendi in his Regnis Castellæ, & Regnis Coronæ Aragonum, consistit in hoc; quod in Regnis Castellæ sola via recursum propter violentiam patet gravari ab Ecclesiasticis Judicibus, ad quam necessaria est notorietas facti, vel juris, ut dici possit violentiam adesse, & sic ea deficiente Laicorum Tribunalia, quantumvis suprema, habent manus ligatas ad obvianda gravamina Laicorum, qui ad superiores Ecclesiasticos appellare debent. At verò in Regnis Coronæ Aragonum, cum procedatur per viam competentis Jurisdictionis, mediantibus arbitris, auctoritate Pontificis eligendis, & eis dissentientibus Cancellario, qui vir Ecclesiasticus est, obtinens Jurisdictionem Ecclesiasticam, à summis Pontificibus, ad hoc concessam simul cum Regia, quam Rex noster pariter concedit, non requiritur notorietas, ad hoc ut competentia suscitetur & admittatur: sufficit namque probabile dubium; nam verè decidendum est, in judicio auctoritate Pontificia formato; ut docet Urrutigoiti, quest. 2. num. 12. Et sic non potest objici defectus jurisdictionis, quia Pontifex, qui est fons, & origo jurisdictionis Ecclesiasticæ, eam plenariam concessit arbitris, & Cancellario, cum amplissima facultate terminandi judicialiter has competentias, & jurisdictionales Controversias, ut practici illorum Coronæ Aragonum Regnorum docent, quorum plures congesti, dict. cap. 7. §. 1. num. 18. cum sequentibus, quibus addendi Cortiada, d. decis. 4. per tot. & Præsul Urrutigoiti, quest. 2. numero 4. & 12. Immo si aliqua via adest, ad vitandam admissionem competentis, est quod Curia renuens deducat notorietatem adesse pro se. Et licet in hoc casu, si alia Curia suscitaverit dubium super notorietate, nullus ex judicibus potest

potest vitare admissionem, nisi simus in re tam clara, ut nulla tergiversatione impugnari possit; ut hæc omnia latius tradidi, dict. cap. 7. §. 1. numer. 50. cum sequentibus, & postea Cortiada, d. lib. 1. decis. 15. num. 7. Urrutigoiti, d. quest. 2. num. 13. & quest. 36. ex num. 10. ex eadem praxi sequitur, quod notorietas non est necessaria ad admissionem competentiam.

- 111 Sed ut hæc omittamus, maximopere dictis obstat videtur, quod tota substantia decreti Laicorum, consistit in hoc, quod Laicus pro re proflus profana ducitur ad iudicium Ecclesiasticum, jurisdictionem secularem perturbando; ut verba decreti demonstrant, nempe quod vim infert cognoscendo & procedendo. Quæ vera non sunt in causis immunitatis, nam licet procedat in Laicos, causa non est merè profana, quia tractatur de reverentia debita locis sacris, quantum rerum cognitio Ecclesiasticæ jurisdictionis est. Text. in cap. si Judex laicus 12. de sentent. excomm. in 6. cap. fin. de immunit. cum aliis adductis per Barbof. de pens. d. quest. 8. num. 44. plura ego, congesti d. §. 1. num. 8. Cortiada, d. decis. 2. numer. 3. & 59. Præsul Urrutigoiti, quest. 32. numero 2. Ex quibus concludendum videtur, nunquam in hac materia decretum Laicorum procedere posse. Nam etiam si notorietas juris, vel facti allegata sit, & Judex, comminatus censuris, vel Fiscalis declinatoriam fori objiciat, ipse Judex Ecclesiasticus tanquam superior ad minus cognoscere debet an sua sit jurisdictio, cap. super litteris in fin. c. ex parte, c. pastoralis de rescrip. leg. si quis ex aliena, ff. de Judic. l. 2. ff. si quis in jus vocat. non ier. l. prescriptione, C. si contr. jus vel util. publ. Barr. Innocent. & Abbas, in his juribus, Dominus Salgadus eis relatis, de Reg. protect. parte 2. cap. 10. numer. 95. Carleval. d. tit. 1. disput. 9. per tot. & tit. 2. disp. 1. numer. 10. Valencuela, consil. 42. numer. 12. Ex quibus sic tenuerunt Barbosa, vel Ojeda, dict. quest. 8. de pens. in fin. & Archiepiscopus Vega in dict. cap. decernimus de judic. num. 13. cum plurius ab eis relatis.
- 112 Verum his non obstantibus, nostra sententia tenenda est, quoties notorie manifestè, & clarè apparet, reum ad locum immunem non confugisse, vel patrasse crimen exceptum modo præ-
- 113 dicto. Quia ad hoc, ut aliquis immunitatis privilegium obtineat, requiritur quod confugiat ad locum immunem, & quod crimen parratum sit ex his, quibus Ecclesia non habet denegatum privilegium immunitatis. Quibus additur quod Judex Ecclesiasticus procedens, debet habere concessam jurisdictionem ad procedendum in causis immunitatis. Si primum requisitum deficiat, hoc est, si per notorietatem appareat reum non confugisse ad locum immunem, deficit basis, & fundamentum jurisdictionis Ecclesiasticæ, quia non datur Ecclesia cujus reverentia tueri possit, & sic causa remanet merè profana, & Judex Ecclesiasticus vim infert jurisdictionem Regiam perturbando. Quia semper constare debet de qualitate tribuente jurisdictionem. Text. in cap. ceterum 5. de jud. cap. si Clericus 5. de for. compet. leg. quædam puella, §. 1. ff. de juris. omni. jud. leg. 2. §. sed si dubietur, ff. de Jud. docent Craveta consil. 169. num. 5. Vantius, de nullis. tit. de defect. jurisdict. num. 53. Cardinalis Tufchus, pract. conclus. litt. 2. conclus. 17. & 19. Jacob. Menoch. consil. 2. num. 91. Ansaldo. de jurisd. parte 2. tit. 11. cap. 5. ex numer. 124. Olascus, de decis. 71. num. 21. & de decis. 88. ex numero 1. Francisc. Beccol. consil. 193. num. 10. Herman. Vultei. lib. 1. de judic. capite 4. ex numero 135. Fariacius, questione 8. numero 86. Capi-blanc. de Baron. pract. 8. parte 2. numero 118. Ambros. de immunit. cap. 11. numero 4. vers. 2. Cortiada, dict. decis. sione 13. numero 3. Præsul Urrutigoiti, questione 73. numero 57. Valencuel. consil. 191. per tot. Carleval. de jud. tom. 1. titulo 1. disputat. 2. numero 1183. cum sequentibus. Azevedo, in l. 13. titulo 13. lib. 8. recopilat. numero. 10. Bobadilla, libro 3. politic. cap. 8. numero 208. & 220. cum sequentibus, Narbona, in dicta lege 20. Glossa 19. numero fin. lib. 4. recopilation. Salgado, dict. part. 1. ca. 2. numero 67. & parte 2. cap. 4. numero 43. & cap. 10. numero 68. & de supplicat. ad Sanctis. parte 1. cap. 30. §. 4. numero 39. Pareja, de instrum. edit. tom. 1. titulo 2. resolutione 6. numero 92. Retes, dict. §. 3. numero 62. apud quos plures alios habebis. Et sic deficiente hac probatione, qualitatibus tribuentis jurisdictionem, per vim & injuriam trahit ad se iudices seculares, ad arrogandam jurisdictionem